

*Pœna eorum, qui sigilla, literas, instrumenta redituum, aut censuum  
libros, seu registra falsa componunt & cor-  
rumpunt.*

Respondeo cum Imp. Quod corporalem, capitalemq; secundum majus & minus falsari, malitiosi, & perniciosi facinoris, habito Jctorum consilio, pœnam ferant, sustineantq; , *Gobler. Zieritz. Steph. hic.* Falsum quoque committit, qui alterius Notarii scripturam & manum imitatur, & subscriptiones confingit plurimas. Historiam hac de re suppeditat nobis *Suidas in Lexico, in voce, Priscus, Emesenus.* Erat Emese, (quæ civitas est Phœnicix, Libanusiæ, teste *Stephano in libro de urbibus*) erat, inquam, vir quidam Patricius Mammianus in re lautissimâ, qui hæredem instituerat Ecclesiam Emesenam, ex quâ ipsius ultimâ voluntate satis elucet, quantâ in Deum pietate fuerit. Ecclesiæ igitur illius Oeconomi non contenti divitiis justè partis ac relictis, ut avaritiam suam insatiabilem explerent, ad malas artes, & falsi crimina confugerunt. Nam Priscum quendam, ejus loci civem, qui aliorum scripturas sive manus scitè imitari atq; exprimere poterat, subornârunt, & spe participandæ prædæ induxerunt, ut manifesto crimine falsi multa conscriberet instrumenta obligationum, quasi ab aliis confecta debitoribus, & Mammiano data, in quibus promitterent, se ei restitutos pecunias, quas in causâ depositi ab ipso accepissent, ac penes se haberent. In primis autem cujusdam tabellionis pridem defuncti (qui ut vir fide ac virtute præstans & celebris, dum viveret, civibus frequentem in foro operam dabat, instrumenta eorum sua subnotatione confirmans; ut hodieq; solent Notarii) hujus, inquam, viri, fide dignissimi & omni exceptione majoris auctoritate & nomine ad eam rem Priscus ille falsarius abutebatur, manum ipsius imitando, & subscriptiones plurimas confingendo. Ea Instrumenta improbus scriptor œconomis non minùs improbis tradebat. Oeconomi pecunias petebant ab iis, quorum nomina tabulis inserta essent, quasi cum Mammiano contraxissent, eiq; deberent, & jam eo mortuo Ecclesiæ tanquam hæredi Mammiani: cum tamen revera neq; cum Mammiano contraxissent, neque deberent quicquam vel ipsi, vel Ecclesiæ ipsius hæredi, sed ut scelera consilium non habent, & cœca ferè est improbitas: ita isti quoque falsarii non satis circumspecti cautiq; fuerunt. Nam in diebus & annis instrumentorum falsorum ponendis vel annotandis non attenderat Priscus, quod dies actionum jam exiissent: atq; ita Ecclesiæ Emesenzæ, ejusve œconomis adversus prætenso debitoribus hæreditarios agentibus nihil prodesse illa instrumenta: quippe quibus objici posset præscriptio vel 30. vel 40. annorum. Itaq; ad hunc modum suismet artibus delusi, frustratiq; spe prædæ suæ non hîc acquieverunt, sed scelus scelere cumulantes confugerunt, ad jus novum per largitiones aulicas impetrandum. Proficiscun-

N

tur